

corrui, nihil infirmum ex carne gestavit, etc.» Et ideo homini longa via et prolixum tempus merendi constitutum est, angelo brevissimum.

Hinc etiam fit ut angeli suis decretis pertinacissime adhæreant; homines non item, sed facile mutantur et mutant sua proposita. Ideo angeli mali propter conceptam suam superbiam (dato etiam ampliori vitæ termino) difficile ad retractionem ejus et pœnitentiam converti poterant; uti etiam patet in hominibus, qui magno sunt ingenio et scientia, ubi enim semel errarunt pertinaciter, in errore persistunt, ne errasse videantur. Unde S. Bern. serm. prædicto ait: «Novi in affectum malitiæ et nequitiae transisse angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse; ideoque perire necesse est, pœnitere nolentes:» et mox: «Nempe novis superbiam Moab, quod superbus est valde: et superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ:» et post pauca: «Perseverare in malo diabolicum est: et digni sunt perire cum illo, quicumque in similitudinem ejus permanent in peccato.» Legimus cacodæmonem Macario dixisse: «Vinco te jejuniis, quia nunquam comedo; vinco te vigiliis, quia nunquam dormio; vinco te castitate, quia nunquam utor concubitu; sola humilitate vincor, quia humilis esse nequeo.» Cæterum homo quia tam intelligentis et sublimis naturæ non est, facile mutari et flecti ad pœnitentiam potest, ideoque venia dignior est.

IV. Quia hominis lapsi miseria major erat, adeoque magis miserabilis. Primo, quia natura ejus vilior et abjectior. Misericordiæ autem est inclinare, ubi major abjectio: *Deposuit enim potentes de sede et exaltavit humiles.* Angelorum natura uti sublimior erat, ita majora a Deo acceperat beneficia, ideoque eorum lapsus tanto erat gravior. Unde scribit August. tract. CX. in Joan. «Cur non intelligimus quod tanto damabilius illorum judicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? Tanto enim minus, quam nos peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt.»

Secundo, quia humanum genus totum periisset, nisi Deus succurrisset; non item cætus angelici. Audi Augustinum, in enchiridio, c. XXVIII. «Placuit, inquit, universalitatis creatori atque moderatori Deo: ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo illa deserente peristerat, de sua certissime cognita semper futura felicitate secunda gauderet. Alia vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam

peccatis atque suppliciis et originalibus et propriis tota perierat: ex ejus parte reparata, quod angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleretur. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt æquales angelis Dei.» Hæc August.

V. Quoniam res universi, inquit Theodoretus, lib. VI. de providentia divina, quæ sub sensum cadunt, propter homines creatæ sunt, ideo Deus non putavit hominem contemnendum, cujus gratia cuncta creavisset, etc. Non enim decere videbatur, ut universum et quæ in eo sunt, perpetuo servirent hosti creatoris sui.

VI. Verum enim vero, hæc omnia quæ attulimus, non prorsus rem evincunt, nec adeo æquam faciunt causam nostram, ut iniquum fuisset, si Deus vel angelos etiam redemisset, vel una cum ipsis humanum quoque genus perire permisisset. Quam enim injuriam homini fecisset, si similis culpæ reum simili pœna mulcasset? Vel quis ei dicere potuisset: *Cur ita facis?* Itaque genuina et ultimata causa nostræ redemptionis est mera et libera Dei misericordia, quam homini impertit, dæmoni non item, quia ita decrevit. Ambo servi peccaverant in Pharaonem, dominum suum, pistor et pincerna; ambo in ejus manu et vinculis erant. Et tamen dominus pincernum restituit pristinae dignitati ut propinaret sibi vinum: pistorem vero suspendit. Et quis propter hoc reprehendit Pharaonem? Scriptura causam diversi hujus judicii tacet, nec factum reprehendit, Genes. XL. Quis ergo reprehendat Deum?

Deinde, possent etiam angeli lapsi pro sua liberatione allegare. Primo, suam nobilitatem: quis enim dominus habens duos servos fugitivos, unum nobilem, alterum ignobilem, non potius requirat nobilem, quam ignobilem? Secundo, multitudinem lapsorum. Tertio, justitiæ divinæ rigorem, quia propter unicum mentale peccatum, illico mulctati sunt, cum tamen Deus homini toties peccanti et tamdiu in peccatis persistenti toties veniam det.

Quare imprimis immortales Deo debemus gratias, quod ejus misericordia inter justitiam divinam et peccata nostra sese interposuerit, nosque ab illa protexerit, quod non fecit angelis. Eramus ambo in eodem molendino, in eodem lecto, in eodem luto: nos assumpsit Deus, angelos reliquit: *Misericordia igitur Domini, quia non sumus consumpti*, Thren. III.

Deinde, metuamus imprimis peccata diabolica, ejusmodi est peccare ex certa malitia (cum scilicet nec infirmitas, nec ignorantia excusat) et perseverare pertinaciter in peccato: *Humanum enim est errare, at persistere in errore, non*

*humanum, sed diabolicum est.* Quare, auditores, si quis nostrum humana victus fragilitate labatur in puteum peccati, quia nimirum boves et asini sumus, imprudentia et infirma animalia: non ibi hæreamus, sed illico clamemus cum Davide: *Domine non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Eonemur deinde emergere mediante pœnitentia. Quid non facerent dæmones, si ex illo suo puteo eluctari aliquando possent? Unus eorum dixit, teste Thoma Cantipratensi, lib. II. c. LVII. se paratum esse tormenta omnia, quibus damnati cruciantur, sive dæmones sive homines, in se unum congesta perpeti usque ad diem judicii. Alius apud Cæsarium, l. V. c. X. dixit, se paratum esse in columnam ferream ignitam, novaculis acutis undequaque armatam insilire, per eamque reperere sursum deorsum usque ad mundi finem. Nihil tale a nobis requiritur, suavetantum Christi jugum subeundum, leve onus pœnitentiæ ferendum est.

## CONCIO II.

FESTI DIES CUR SEDULO OBSERVANDI: ARGUMENTA.

I. Præceptum Dei et Ecclesiæ: 1. Quia Deo debiti. 2. Quia ad animæ collectionem constituti. 3. Quia ad corporum quietem instituti. — II. Fructus et præmium: 1. Spiritualis lætitia. 2. Spes futuræ felicitatis. 3. Provisio bonorum spiritualium et corporalium. — III. Pœna transgressoribus imminens. 1. In bonis fortunæ. 2. In corpore. 3. In anima.

## THEMA.

*Et ipsi observabant eum.* Luc. XIV.

Merito quis roget, cur Christus hydropicum die sabbati curaturus, hodierno in evangelio prius legisperitus interrogat: *Si licet sabbato curare?* Cur enim Filius Dei doctrinam aut potestatem accipiat ab hominibus? Quomodo ipsa Dei sapientia, ipseque legislator non sit legisperitus omnibus legisperitis? *Et si Dominus est Filius hominis, etiam sabbato,* ait ipse, Matth. XII. Nihilominus tamen, quia vidit se ab illis observari num in sabbato quid operaturus esset, voluit interrogare: *Si licet sabbati curare?* Et hoc ad instructionem nostram, ut dies festos sedulo observemus, et dubia in re, non ipsi nos consulamus, ne mentiatur iniquitas sibi, sed Ecclesiæ pastores et legis sacræ peritos, utrum et quid liceat illis diebus agere: idque ob eam maxime rationem quia multi sunt qui nos observant, quomodo sabbata nostra celebremus.

Observant nostri magistratus quibus præcepit apostolus, ad Philip. III. *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram:* observant hypocrytæ, Psal. XXVI. *Observabit peccator justum,* ut Pharisei Christum in hodierno evangelio: observant etiam dæmones, quorum uni dixit aliquando Deus, Job I. *Numquid considerasti servum meum Job?* observant angeli Dei: *Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis,* Ps. XC. observat ipsemet Deus, cui Job, c. XIII. ait: *Observasti omnes semitas meas;* et David, Psal. XIII. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum ut videat si est intelligens aut requirens Deum.* Et cur hi omnes nos observant nisi ut studiosius Dei præcepta observemus, et inter alia sabbatum, de quo Deut. V. præcepit Deus: *Observa diem sabbati, ut sanctifices eum?* Non enim ut spectatores tantum nos observant; sed ut vel præmient, vel puniant: Deus ut legislator, angeli ut præceptores, magistratus ut divinæ justitiæ executores, hypocritæ ut censores, dæmones ut lictores et carnifices. Igitur ut hoc præceptum sedulo observemus, videndum nobis est, quam æquum id sit, quod ejus præmium, quæ pœna: hæc enim tria sunt, quæ movere unumquemque debent, ut legem sibi præscriptam observet.

I. Ad observandos dies festos movere nos debet præceptum Dei et Ecclesiæ. Deus quidem id serio nobis inculcavit, cum dixit, Exod. XX. *Memento ut diem sabbati, sanctifices,* q. d. ante omnia cura, seu, noli oblivisci. Qua formula inculcandi præceptum non utitur in aliis mandatis. Ecclesia vero similiter, quia sub peccato lethali nos obligat ad celebrationem dierum festivorum: et merito quidem ita serio tam a Deo quam Ecclesia præcipiuntur, meritoque observari debent.

Primo, quia Dei et ss. ejus gloriæ debentur. Dei quidem jure naturali et divino cultum hunc debemus, quo beneficiorum ejus memores simus. «Ei, inquit August. X. de civit. c. IV. beneficiorum jus solemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.» Quid enim dominicus dies, nisi memoria creationis nostræ, et resurrectionis partim Domini nostri, partim nostrum omnium in futura felicitate? Quid cætera Christi festa, nisi memoria insignium ejusdem beneficiorum, nobis collatorum, ut nativitatibus, circumcissionis, epiphaniæ, ascensionis, pentecostes, etc? Quid denique festa sanctorum, nisi memoria eorundem, qua partim ipsos ob præclarum eorum agonem honoramus, partim nobis ad imitandum vel saltem excitandum proponimus, partim vic-

toribus ac parta sibi gloria congaudemus, partim eos, ut pro nobis ad Deum orent, commonefacimus: ante omnia vero Deum pro eorum exaltatione et glorificatione laudemus? Quæ omnes quam justæ solemnitatum causæ sint, quis non videt? Et quia longe plura atque insigniora accepimus a Deo beneficia, quam Judæi, merito etiam plures agimus festivitates. Videmus perfidos Judæos usque in hodiernum diem tanto rigore peragere suas solemnitates, e quibus nihil penitus utilitatis capiunt: quid nos non decet facere?

Secundo, quia ad animæ solatium et spiritus collectionem necessario instituti sunt. Sicut enim viator oneratus interquiescere subinde debet; et sicut corpus a labore, sic animus a labore: sic animus a pondere corporis trahente ipsum ad terram. Quia: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, Sap. IX. ergo et animus habere suam quietem debet, qua collapsas instauret vires et spiritum resumat: quod fit, cum erigitur ad Deum, cum terrenos affectus excutit et cœlestibus desideriis inflammatur, etc. Hoc autem durante corporis labore, commode facere non potest; testes Israelitæ qui inter Ægyptios labores sacrificare Deo non poterant; propterea Moyses et Aaron dicunt: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto*, Exod. V. et Cicero, in Philipp. ait: *Das res magnas præsertim, uno eodemque tempore, non dico agere, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest*. Quoniam igitur majori vitæ parte terrenis implicamur et corpori vacamus plerique, cur non certis diebus vacemus etiam animæ? Imo ad hanc animæ quietem direxit Deus quietem corporis. Et propterea dicitur benedixisse et sanctificasse diem septimum, eo scilicet sensu quo dixit, Deut. V. *Observa diem sabbati, et sanctifices eum*, hoc est, ut eum animæ quieti et piis operibus dedices. Cujus rei admonere Judæos voluit Deus naturali quasi miraculo illius fluvii in Judæa, qui ut scribit Josephus, lib. VII. belli Jud. cap. XXIV. et Plin. lib. XXXI. cap. II. per sex dies fluit, septimo fluere desinit et alveum siccum reliquit, ideoque *sabbaticus* dictus est. Sic ergo et nos semel saltem in septimana a mundi cursu, qui deorsum nos trahit, cessare et Deo vacare debemus.

Tertio, quia ad nostrorummet corporum quietem et commodum instituti sunt. Quam causam agnovit etiam ethnicus Plato, qui l. II. de legib. ait: *Dû miserati laboriosum a natura genus humanum, remissiones laborum ipsis statuerunt*. Eandem indicavit Dominus, Deut. V. cum de die sabbati ait: *Non facies in eo quidquam operis tu et filius*

*tuus et filia, servus et ancilla et bos et asinus et omne jumentum tuum et peregrinus, qui est intro portas tuas, ut requiescat servus tuus, et ancilla tua sicut tu*. Quod postremum addit propter heros, qui parvum vel nihil unquam laborant; illi enim oderunt dies festivos, quibus ferientur eorum servi. Sed Dominus insinuat eis præceptum illud naturæ: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis*. Si ergo heri diligunt otium et perpetuo feriantur, non id invident aliis saltem interdum. Quos ut magis urgeat, subjungit: *Memento quod et ipse servieris in Ægypto, etc.* q. d. cogita quam gratiæ tibi fuerint feriæ in Ægypto, ut in iis respirare posses ab operibus luti. Si ergo domini cum servirent forte ipsi, libenter audierunt proclamari dies festos, patiantur hoc idem contingere suæ familiæ. Quare non caret gravi impudentiæ nota, qui dum heri servirent, optabat sibi quam plurimos vacationum dies, hodie vero postquam dominatur, cupit omnes abrogari. Heus ut, quæso; *Memento quod et ipse servieris*. Porro quoniam vires hominum paulatim imminutæ sunt, merito etiam posterioribus sæculis plura sunt addita festa ad dominicum diem, quibus e laboribus recreantur operarii. Quod advertentes non ita pridem in Palatinatu famuli et ancillæ, querebantur deteriori se esse loco apud Calvinistas quam apud catholicos; hic multa festa esse, quibus respirare liceat, ibi assiduo se labore opprimi; neque tantillum temporis permitti, quo vel laceras vestes reficere par sit. Visa est legitima hæc querela: igitur a magistratu feria quarta assignata ipsis est, qua ab herili opere aliquantulum cessare possent, et consuendis ac reficiendis vestibus operam dare. Recenset Tympius, in mensa theologoph. (cui instituto accinit) agendum Ecclesiæ ritum pro ditione marchionis Brandeburgici et reipublicæ Norimbergensis, an. 1533. Norimbergæ impressa apud Jodocum Guetknecht, in qua festum assumptionis B. Virginis admittit: *Non propterea, inquit, quod ullum fundamentum in Scriptura habeat, sed propter agrestium seu rusticorum labores, ut scilicet habeant tunc vel in messis laboribus vel post messis labores aliquid levamenti*. Verum catholicis hæc ratio instituendi festa nec sola nec primaria est. Primario enim institutum festa ad Dei et ss. cultum animæ item refectionem ac solahum, secundario vero ad corporis quietem. Primario, Deum et sanctos ejus veneramur, animæque nostræ consulimus; secundario vero corpori: ac per hoc divinæ legi nostræque obligationi satisfacimus; et præterea meritum obedientiæ et religionis acquirimus. Sic qui desiderans videre

## DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Remam et simul lucrari indulgentiam, si ob publicam causam tamquam legatus eo mittatur alienis impensis; nonne is duplex vel triplex commodum reportat, dum et alienum negotium expedit, et desiderium suum implet, idque cum mercede et expensis alienis? Contra hæreticorum: *Partem ponet Deus cum hypocritis, quia sicut feriantur, jejnant, orant, sed sine fructu: sic et isti*.

II. Movere debet fructus et præmium illis constitutum, qui sicut decet, festivitates celebrant. Id vero expressit Deus, Isa. LVIII. dicens: *Si averteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, etc. tunc delectaberis super Domino et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo de hæreditate Jacob patris tui, os enim Domini locutum est*. Primus igitur fructus est, spiritualis quædam lætitia et voluptas, qua perfunduntur ii, qui digne festa celebrant: *Tunc delectaberis super Domino*, quia hæc festivitatum nostrarum varietas valde animos delectat et asperum hoc exilium crebra patriæ nostræ recordatione temperat. Democritus solebat dicere: *Vita sine festivitatibus, longa est via sine diversoriis*, apud Stob. serm. de avaritia. Et talis fere est vita hæreticorum, qui plerasque festivitates sustulerunt, reliquas nulla solemnitatum aut cæremoniarum varietate peragant, sed solis iisdemque semper cantilenis et Prædicantium perpetuis clamoribus. Non ita nos catholici, quibus annuus festivitatum circulus quasi iter quoddam Jerosolymitanum est, pulcherrima locorum interjacentium ac circumjacentium varietate recreans. In illo enim ad sepulcrum Domini, quodammodo peregrinamur cæteraque loca, in quibus mysteria redemptionis nostræ peracta sunt, dum quasi in varia sanctorum templa divertimus, adeoque sacra omnia loca, quasi ibidem corpore præsentem, devote peragramus. Dum adventum inchoamus, quasi terram sanctam attingimus et a longe jam Jerosolymam contemplamur: in Domini nativitate ad Bethlem divertimus: in quadragesima ad loca passionis Christi et montem Calvariæ: in paschate ad sepulcrum: in ascensione ad montem Oliveti: in pentecoste ad montem Sion; in corporis Christi festo ad cœnaculum, etc. in festivitibus sanctorum quasi ad eorum ædes divertimus et velut in diversoriis recreamur. Magnum experiemur gaudium si corpore præsentem perambulare terram sanctam possemus, sed non est necessaria corporis præsentia ad hæc loca cum gaudio et fructu peragranda, siquidem Dominus ad Samaritanam dixit Joan. IV. *Mulier crede mihi, quia neque in monte hoc (Garizim)*

*neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, sed veni hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, etc.* Nunc proprie hoc verificatur, quia scilicet non licet nobis adorare in Jerosolymis, adoremus ergo spiritu, etc. Quid prodest corporali præsentia peragere sacra loca: interrim vero sacra mysteria, quæ illis peracta sunt non perpendere? In omnibus templis habemus Christum in eucharistia præsentem, ergo et Jerosolymam.

Secundus, spes futuræ felicitatis æternæ festivitatis consequendæ, terrenarum vero voluptatum contemptus. Unde ait: *Sustollam te super altitudinem terræ, q. d. faciam, ut cœlesti festivitati appropinques, eamque certa spe quasi de prope aspicias, unde omnes terrenarum solemnitatum delicias velut exiguas despicias, et cum apostolo ut stercora reputes. Hunc fructum consecutus erat Tobias, quando adhuc junior: Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, et pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, ut dicitur, Tob. I. Multo maxime vero Magdalena, quæ, ut vidit aliquando presbyter solitarius, in deserto degens, quotidie ab angelis in cœlum tollebatur ad cœlestis festivitatis suavitatem percipiendam, et rursus in terram deponabatur. Quo fiebat, ut non modo terrenarum deliciarum, sed et cibi prorsus oblivisceretur, apud Metaphr. Itaque si debito modo festa celebremus, veniemus in considerationem, amorem et desiderium cœlestium festivitatum, quas nostra representant festa: simulque incipiet nobis desipere et sordere: *Stercus solemnitatum mundanarum, quemadmodum vocat Deus, Malach. II. ludi, choreæ, symposia, confabulationes, spectacula, etc.* Ac demum oriatur in nobis spes futurorum bonorum nequaquam inanis; si enim hic in terris imitemur cœlites, et sincera devotione peragamus festa Dei, sperandum est, nos cœli cives esse, et cum cœlitibus perpetuum illud cœli festum aliquando celebraturos.*

Sed ut hunc fructum consequamur, debemus vocare, id est, agere *sabbatum delicatum*; ut videlicet non corporis tantum, sed et animi quieti intendamus: non operibus tantum servilibus, sed etiam a peccatis abstinemus.

Tertius, provisio temporalium et spiritualium bonorum, cum dicitur: *Cibabo te hæreditate Jacob patris tui*. Hæreditas autem quam a patre accipit Jacob, fuit benedictio et multiplicatio spiritualium et temporalium bonorum: *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ, abundantiam*

frumenti et vini, etc. Gen. XXVII. ergo qui observant festa, et manum a labore continent, non metuunt egestatem; quia non patitur Deus, obsequiis se vinci. Sane Lev. XXIII. jussit Deus annum septimum esse sabbaticum, in quo nec serere, nec metere licebat: fruges nihilominus sponte enatae, quas omnibus communes esse voluit. Unde sequitur prioribus sex annis compensatam fuisse fertilitatem agricultoribus, ut septimo etiam sufficeret. Idem promisit etiam Levit. XXVI. *Custodite sabbata mea, et pavete ad sanctuarium meum: Ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaveritis et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur, etc.*

III. Movere debet punitio transgressoribus imminens. Primo, in bonis fortunæ; siquidem Jer. XVII. ait Dominus: *Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati, succendam ignem in portis ejus, et devorabit domos Jerusalem, et non extinguetur.* Contigit hoc non semel. Gregor. Turonensis, in hist. lib. X. cap. XXIX. narrat apud Lemovicinam urbem, ob id quod dominico diei illata esset injuria, dum in eo publicam operam exercerent, plerosque igne cœlesti consumptos esse: et in glor. confess. cap. LXXXI. commemorat quemdam qui B. Mariani festum diem celebrare cum reliquis contempsisset, adeo divina ultione per ignem percussus, ut domus, suppellex tota, pecudes ac quidquid illius esset, igne fuerit absumptum; at ne quis ea fortuito casui tribuenda putet, addit nulli vicinorum proxime habitantium ex eo igne illatum esse damnum. In vita S. Othonis episcopi Bambergensis, dum quidem in die S. Laurentii ad increpationem Bocci presbyteri, non desisterent metere, ignis repente segetem invasit, et abumpsit tam demessam, quam metendam, lib. III. c. XXIX. Petrus Damianus, in ser. de S. Ruffino scribit, Assisii, ubi corpus S. Ruffini summa veneratione colitur, cum quidam incolæ diem ejus festum textrinis et ruralibus operibus violarent, subito in eorum ædibus ignem exortum omnia corripuisse. Et cum illi suppellectilem incendio ereptam in vicinum profluentem non magnum abjicerent, quasi facile recuperandam, nihil tamen id profuit: data enim aquæ ignea quædam vis, ut demersam suppellectilem exureret, non secus ac incendium ipsum, quoadusque cives ad sancti corpus accurrentes, veniam meruere. Rursum Greg. Turon. l. I. de gloria mart. c. XV. narrat mulieris cujusdam die dominica pinsentis panem, manum

protinus divino igne fuisse succensam. Si quæras cur huic peccato Deus speciatim minetur, et immittat plagam ignis, resp. quia hoc peccatum est quoddam sacrilegium, quod tempus Deo debitum ac dicatum furatur et applicat sibi. Si autem igne punitur furtum vasorum Deo dicatum, velut sacrilegium, cur non et furtum sacri temporis? Et licet hunc processum non semper observet Deus, efficit tamen, ut ejusmodi lucra, cum injuria festorum hominem ditiores non reddant, quemadmodum et bona ecclesiastica a Protestantibus principibus rapta, ditiores illos non fecerunt sed potius egentiores. Observare est frequenter, eos qui ne lucri alicujus jacturam sustineant, festis laborant diebus, nihilo ditiores fieri; sed interdum ob id graves Deo pœnas dare. Periculosum est cum potentioribus bella gerere, et eorum jura invadere: dum enim tu illis civitatem auferis, illi tibi totam ditionem auferunt. Multo periculosius est, invadere jura Dei.

Vidi Salisburgi in celebri monasterio ad S. Petrum, lapidem ad formam panis rotundum, qui olim massa panis erat in die festivo S. Leopoldi, in pago Leopuhel, cum aliis furno impositus a muliere. Quæ cum a vicina propterea argueretur et moneretur de festivo die Sancti Leopoldi, respondit: sed cum eximere postea panes vellet e furno, omnes quotquot erant, in lapides vidit esse mutatos; quorum ille unus erat. Deinde, etiam jure tales puniuntur a magistratu in bonis, quia hac de re dicit vetus lex Baioariorum, apud Gretser. de festis, l. I. c. XIII. *Talis causa vitanda est, quæ Dominum ad iracundiam provocat, et exinde flagellantur homines in frugibus, et penuriam patiuntur.*

Secundo, in corpore. Exodi XXXV. dicitur: *Septimus dies erit vobis sanctus, qui fecerit opus in eo occidetur.* Exemplum habetur Num. XV. ubi jussus est a Deo lapidari qui in sabbato ligna collegerat: *Morte moriatur homo iste,* ait Dominus ad Moysen, *obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Quem non terreat hæc severa sententia? Si enim ita punitus est, qui pauca collegit ligna, quid fiet iis, qui totos dies festos consumunt opificiis, aleis, choreis, computationibus, lectione obscœnorum librorum? Non ita pridem Mussiponti in Lotharingia quidam molitor, cum sæpe admoneretur, ne faceret diebus festis mechanicum aliquid circa pistrinum suum, nec abstineret tamen, ingens pars aggeris circa quem in festo S. Matthiæ se occupabat, in tibias ejus decidit easque confregit, ita ut per vitæ reliquum coactus sit ad templi fores stipem colligere, eoque venire sacræ tempore, quo prius

sponte noluerat, refert Chavass. de prudentia, l. I. c. IX. accidisse suo tempore. Alteri cuidam molitori in vita S. Austregisili archiep. Bituric. apud Sur. 20. maii, c. IX. Monulpho nomine, dominica die molam reficienti, manubrium instrumenti ita ad manum adhæsit, ut nulla vi posset eripi: ad extremum tamen tactu Austregisili sanatus est, apud Gretser. de festis, l. II. c. ult. etc. Plurima sunt alia ejusdem rei exempla, quibus ipsæ creaturæ, quæ ad operandum talibus diebus adhibeantur, detractabant operam suam adhibere ad injuriam sui creatoris. Alii brachium aruit ut in die S. Francisci: alii ligna sufficere noluerunt ad fovendum ignem pro coquenda cerevisia, ut in die S. Ludgeri: aliis odium dissipatum, coire noluit, quamvis a victoribus tota die reficeretur, ut in die S. Othmari. Quæ videre est apud Surium, in eorum vita.

Tertio, in anima. Ezech. XX. legimus: *Sabbata mea violaverunt vehementer, dixi ergo ut effunderem furorẽ meum super eos in deserto et consumerem eos.* Sed non solet ordinarie Deus hic effundere iram super peccatores; sed distillare, vel interdum omnino differre usque ad diem illam, quia non est hic ordinarius vindictæ divinæ locus, supplicia, quibus aliquos in hac vita corripuit, tantum in cautelam aliorum edidit, ut noverint Deum omnia observare et suo tempore judicaturum esse. Ibi primum effundet iram suam. Exemplum memorabile refertur in lib. II. de vita et rebus gestis S. Othonis episcopi, Pomeraniæ apostoli, c. XXII. de vidua nobili et prædivite, ruri juxta Caminensem civitatem habitante, quæ cum religionem christianam nollet suscipere, nec suos ad festa Christianorum colenda dimittere; quadam dominica gentilis illa mulier subditis dicebat tempore messis: «*Ite, metite agros meos, hoc enim melius est quam vacare illi, nescio cui novo Deo, quem de terra sua nobis affert ille Otho Bambergensis episcopus. Ite igitur ad metendas segetes nostras, et ut minus timeatis, parate mihi vehiculum: Ecce ego vobiscum ipsa in campos messura descendam.*» Ubi cum retractis manicis falcem arripuisset, et metere cœpisset, (mirum dictu) subito in actu ipso ut erat inclinatus, misera dirigit, et quasi marmoris effigies nec semetipsam erigere, nec falcem e manu dimittere potuit, nec segetem: sed muta et nihil loquens similis simulacro stabat; tantum intuens intuentes. Concurrentes famuli rogant, ut a temeritate respiscat, dicentes, fortem esse Deum Christianorum: sed illa nihil respondebat. Injectis ergo manibus eam erigere conantur, et falcem extorquere, sed frustra. Stabat enim im-

mobilis quasi moles terræ affixa. At ubi satis miraculi ac stuporis intuentibus ostenderat ipsique famuli jam tædio affecti abire, ipsamque dimittere vellent; soluta illa repente corruit, sontemque animam in ignem tartareum efflavit. Quam levantes in vehiculum: *Ex, inquit, qualem de agro manipulum die dominico reportamus.* Inde famuli ad baptismum festinarunt, et vicini omnes diem dominicum sedulo observare cœperunt. Væ itaque hominibus, qui festos dies violant! Surgent in judicio, et condemnabunt nos primo Judæi, qui I. Macch. II. oppugnantibus se hostibus in die sabbati, non obstiterunt, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, sed dixerunt: *Moriamur omnes in simplicitate nostra:* qui et occidi se passi sunt, ne sabbatum violarent. Condemnabunt gentiles Romani, qui, ut refert Macrobius, lib. I. Satur. cap. XVI. mulctabant eos, qui in festis aliquid operis fecissent: præter mulctam vero, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debebat. Forte quia uti porcus os oculosque semper ad terram et sordes porrectum gerit, cœlum nunquam intuetur: et si rursus aspiciat, illico ob stuporem conticescit: sic illi, etc. prudens vero expiare non poterat, ut asserebat Scævola pontifex apud Macrob. Et quid, quæso, in judicio poterunt prætereendere ad sui excusationem, qui festa violarunt? Num ignorantiam? At hæc locum non habet: quis enim non audit denunciari festa? Quis ignorat illa? An infirmitatem? Atqui hanc potius prætereendere possemus, si laborare juberemur. Infirmitas ad otium trahit, non laborem. An paupertatem? At hæc vix audietur. Habemus enim Dei promissionem, quod si quæsierimus imprimis regnum cœlorum, temporalia nobis adjicere velit. An lucrum temporale, quod nobis alioquin cessabat? Sed: *Quid prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* ait Dominus, Matth. XVI. § XXVI. An sufficere dicere, quod non ipsi sed famuli tantum eorum laborarint? At etiam Pilatus non propriis, sed militum suorum manibus flagellavit Christum, et tamen flagellavit.

Nemo igitur sibi soli fidat: sed interroget sapientes et pastorem suum, si licet sabbato hoc facere, etc